

1259-1259- Soreres Ordinis Fratrum - Constitutiones**CONSTITUTIONES SORORUM ORDINIS FRATRUM**

Constitutiones Monialium Sacri Ordinis
 Praedicatorum

Incipiunt constitutiones sororum ordinis fratrum
 praedicatorum.

Quoniam ex precepto regule iubentur sorores habere cor unum. et animam unam in domino. * iustum est ut que sub una regula et unius professionis uoto uiuunt. uniformes in obseruancia canonice religionis inueniantur: quatenus unitatem que interius seruanda est in cordibus. foueat et representet uniformitas exterius seruata in moribus. Quod profecto eo competencius et plenius poterit obseruari. * si ea que agenda sunt. scripto fuerint commendata: si omnibus qualiter sit uiuendum. scriptura teste innotescat. * si mutare uel addere. uel minuere nulli quidquam propria uoluntate liceat: ne si minima negligant. paulatim defluant. Ad hoc tamen in conuentu suo que preest dispensandi cum sororibus habeat potestatem. cum sibi aliquando uidebitur expedire: nisi in hiis in quibus magister. uel prior prouincialis. uel eorum uicarii ex causa aliter ordinarent. Priorissa eciam utatur dispensacionibus: sicut alie sorores.

Ut igitur unitati et paci sororum prouideremus. * librum istum quem librum constitutionum appellamus diligenter conscripsimus per certa capitula infra scripta distinctum: ut quod queritur facilius inueniatur. Declaramus autem quod constitutiones non obligent sorores ad culpam. sed ad penam tantum: nisi propter preceptum uel contemptum. Sequuntur distinciones capitulorum qui infra continentur.

De officio ecclesie I

De inclinacionibus II

De suffragiis mortuorum III

De ieuniis IIII

De cibo V

De collacione VI

De infirmis VII

De minucione VIII

De lectis IX

De uestitu X

De communitate rerum XI

De comunione et lauatura capitem et tonsura XII

De silencio XIII

De recipiendis XIII

De nouiciis et earum instruccione XV

De professione XVI

De leui culpa XVII

De media culpa XVIII

De graui culpa XIX

De grauiori culpa XX

De grauissima culpa XXI

De apostatis XXII

De eleccione priorisse XXIII

De institucione suppriorisse XXIIII

De circatricibus XXV

De cellaria XXVI

De labore XXVII

De edificiis XXVIII

De ingressu et egressu domorum XXIX

De capitulo XXX

De concessione domorum XXXI

Liber constitutionum Sororum Ordinis
 Praedicatorum ex exemplari codocis
 Ruthenensis in archiuo generali ordinis
 Romae asservato

De officio ecclesie: primum capitulum

Audito primo signo surgant sorores cum matura festinatione: religiose et honeste se preparando. Matutinas autem et omnes horas canonicas simul audiant sorores: nisi cum aliquibus ex causa fuerit aliter dispensatum. Hore canonicas omnes in ecclesia tractim et distincte taliter dicantur. * ne sorores deuotionem amittant: et alia que facere habent minime impediatur. Quod ita dicimus esse faciendum. ut in medio uersus metrum cum pausa seruetur: non protrahendo uocem in pausa uel in fine uersus. Hoc tamen magis et minus: pro tempore obseruetur. Hore uero de beata uirgine: prius horas canonicas dicantur in ecclesia.

Tempore quo bis reficiuntur sorores. legatur ante completorium in ecclesia leccio: sorores sobrie estote etc. Postea dicto ab ea que preest. adiutorium nostrum in nomine domini. et facta confessione dictoque completorio: ebdomadaria aquam aspergat benedictam. Postea dicatur pater noster et credo in deum. Post completorium autem receptis disciplinis pro tempore.

* concedatur aliquod spacium competens sororibus ad uacandum sacris meditationibus et oracionibus priuatis usque ad signum: similiter et prius matutinas. Facto autem signo omnes egrediantur ecclesiam: et intrent locum dormicionis. Aliquis autem locus statuatur. * in quo ad preuidendum officium diuinum sorores conueniant: presente priorissa uel alia cui commiserit tempore oportuno.

De inclinacionibus: secundum capitulum

Cum sorores chorum intrant conueniendo ad horas: inclinent ante altare profunde. Et cum ad sedes suas uenerint: facto signo ab ea que preest. flexis genibus. uel inclinate profunde pro tempore. dicant pater noster. et credo in deum in matutinis et in prima: in aliis autem horis pater noster solum. iterum facto signo ab eadem: surgant. Hora itaque deuote incepta. uerse ad altare muniant se signo crucis. * et ad gloria patri inclinet chorus contra chorum profunde: uel prosternant se pro tempore: usque ad sicut erat. Hoc eciam faciendum est. quociens pater noster et credo in deum dicuntur: nisi in missa et ante lecciones. et graciaram acciones. * in quibus inclinandum est solum ad pater noster: et ad oracionem retribuere.

Idem eciam faciendum est ad primam collectam in missa. et ad postcommunionem: et similiter ad oracionem pro ecclesia. * et in singulis horis ad collectam: et ad gloria patri. quociens in inchoacione hore dicitur. Ad omnia autem alia gloria patri. et ad extremos uersus ymnorum. et ad penultimum uersum cantici benedicite. inclinent usque ad genua. * et quando cantatur gloria in excelsis ad suscipe deprecationem nostram: et ad credo in missa et ad ex maria uirgine et homo factus est. et item in benediccione leccionis. Iterum in capitulo ad oracionem sancta maria. * et in omni oracione quando nomen beate uirginis. et beati dominici nominatur: et eciam quando nomen beate uirginis nominatur ad antiphonam Salue.

Hora itaque incepta predicto more. * postquam ad gloria post uenite inclinauerint: stet chorus contra chorum. Deinde ad primum psalmum sedeat unus chorus. * et ad secundum stet. et sedeat alter chorus: et sic alternent usque ad laudate dominum de celis. Et sic faciant usque ad omnes horas. Finita autem leccione in matutinis: nisi fiat officium de mortuis. * illa que legit. inter pulpitem quod est in medio chori et gradus. inclinacionem faciat: uel prosternat se pro tempore.

Porro ad salue sancta parens. et ueni sancte spiritus. et ad inceptions antiphone de beata uirgine quod dicitur post completorium: flectere debent genua. In ferialibus autem diebus: sorores prostrate iaceant a sanctus usque ad agnus. In festis autem trium uel nouem leccionum: iaceant ab eleuatione corporis domini usque ad pater noster. In prostrationibus idem seruetur: in festo trium leccionum et nouem.

Quando uero prelatus uel qui preest iniunxerit aliquam communem oracionem: inclinent omnes. Similiter omnes faciant: quibus aliquid facere uel dicere iniunxerit. Si autem aliquam obedienciam uel officium uel ministerium alicui iniunxerit: humiliter prosternens se. suscipiat quod iniunctum fuerit ei. Quando eciam sororibus quippiam tribuitur: profunde inclinantes. benedictus deus in donis suis. dicant.

Desuffragiis mortuorum: tertium capitulum

A festo sancti dyonisii ad aduentum. pro anniuersario fratrum et sororum. litterate sorores psalterium: non litterate quingenta pater noster dicant. Idem faciat quelibet soror pro sorore defuncta sui conuentus: et idem fiat pro magistro ordinis et pro priore prouinciali defunctis. Idem eciam fiat pro uisitato earum si in uisitatione moriatur. Anniuersarium patrum et matrum tercia die post purificationem beate marie. * et anniuersarium benefactorum et familiarium die crastina post octauas beati augustini: anniuersarium uero fratrum et sororum in crastino beati dyonisii faciendum est.

De ieiuniis: quartum capitulum

A pascha usque ad festum exaltacionis sancte crucis. sorores bis reficiantur: exceptis diebus rogationum. et sextis feriis. et uigilia pentecostes. et ieiuniis quatuor temporum. * et uigilia beati iohannis baptiste. petri et pauli. iacobi et laurentii: assumptionis beate marie. et beati bartholomei. A festo autem exaltacionis sancte crucis usque ad pascha continuum teneant ieiunium. * et nona dicta comedant exceptis dominicis diebus: nisi dispensatiue fiat interdum aliter et ex causa.

In toto autem aduentu quadragesimali utantur cibo et ieiuent. et similiter in ieiuniis quatuor temporum. et in uigiliis ascensionis. pentecostes: sancti iohannis baptiste. petri et pauli. beati, laurencii. assumptionis beate marie. mathei. symonis et iude. omnium sanctorum et beati andree. similiter in omnibus sextis feriis: nisi cum aliqua ex causa dispensetur. uel nisi precipuum festum fuerit. Precipuum autem festum dicimus semiduplex. uel duplex: similiter secunda et tertia feria post quinquagesimam.

De cibo: quintum capitulum

Hora competenti ante prandium uel cenam. a sacristissa paucis ictibus campana pulsetur: ut sorores ad refeccionem uenire non tudent. Postmodum pulsetur cimbalum si cibus est paratus: alioquin non pulsetur donec paratus sit. Ablutis uero manibus nolam rectorii que preest pulset: et tunc sorores ingrediantur. Quibus ingressis. dicat Benedicite que dicit uersiculos: et conuentus prosequatur benedictionem. Seruitrices autem incipiant ab inferioribus: usque ad mensam priorisse ascendentes. Nulla soror a prima mensa remaneat preter seruitrices: nisi de licencia et ex causa. Quotquot autem remanserint. comedant in secunda mensa: ita quod terciam non oporteat facere.

Nulla fiat pitancia seruitricibus uel ministris: que non fit conuentui. Soror non mittat sorori pitanciam excepta priorissa: sed sibi datam dare potest a dextris et a sinistris tantum. Priorissa comedat in refectorio. et cibariis conuentus sit contenta: similiter infirmarie et alie que ministrant in officio quocumque. Pulmenta sint semper sine carnibus in conuentu. Singulis diebus si fieri potest et expedierit: duo cocta pulmenta habeant sorores. Poterit autem priorissa superaddere: prout opus esse iudicauerit. et facultas permiserit. Si que iuxta se sedenti uiderit aliquid deesse de communi: requirat a ministra. Si que de sororibus seruiendo uel comedendo in aliquo offenderit. * surgentibus sororibus ueniam petat: et facto signo ab ea que preest. redeat ad locum suum.

De collacione: sextum capitulum

Tempore ieiunii hora competenti. sacristissa ad collacionem signum faciat: postea cimbalum rectoraria pulset. Deinde sororibus uenientibus in refectorium. ad signum illius que preest. legat lectrix premissio lube domne benedicere: et sequatur benedictio Noctem quietam etc. Infra leccionem uero poterunt bibere que uoluerint. * facto signo ab ea que praeest: et dicto Benedicite a lectrice dataque benedictione ab hebdomadaria Largitor omnium bonorum etc. Finita lectione. dicat que preest Adiutorium etc: et tunc cum silencio intrent sorores ecclesiam. Quecumque bibere uoluerit extra horam licenciam petat: et unam sociam accipiat.

De infirmis: septimum capitulum

Circa infirmas: caueat ne sit negligens priorissa. Sic enim procurande sunt infirme ut cicius releuentur: sicut dicit in regula beatus augustinus. Poterunt autem quedam uesci carnibus. prout eorum grauior exigit infirmitas uel debilitas: secundum quod priorisse uisum fuerit. Si qua uero talem infirmitatem habuerit. que nec eam debilibet multum. nec comedendi turbet appetitum. * talis nec super culcitram iaceat. nec consuetudinaria ieiunia frangat: nec cibos rectorii mutet. In domo non sint nisi duo loca in quibus comedant debiles uel infirme. * unus carniem et alius aliorum ciborum: nisi sit euidentis necessitas. Si autem priorissa infirmari contigerit: in infirmaria cum aliis procuretur.

De minucione: octauum capitulum

Minucio quater in anno fiat. prima in mense septembri. secunda post natale. * tertia post pascha: quarta circa festum iohannis baptiste. Preter has minuciones nulla sibi minuat: nisi discrecio priorisse propter aliquam causam iudicauerit aliter alicui esse faciendum. Minute secundum quod facultas domus permiserit. commodius procurentur: causa uero minucionis non comedant carnes.

De lectis: nonum capitulum

Super culcitra non dormiant sorores nisi in infirmitorio. Super stramina. et laneos. et saccones dormire licebit. * cum tunica et uelo et capitegio. et cincte dormiant et eciam cum caligis: in regionibus in quibus mulieres caligas portare consueuerunt. Nulla que in communi tolerari possit habeat specialem locum ad iacendum. * nisi forte propter rerum custodiam cum necessitas hoc requirit: in quo casu non minus quam tres iaceant in loco predicto.

De uestitu: decimum capitulum

Uestes laneas honestas et non notabiliter preciosas deferant sorores: et in mantellis uilitas pocius obseruetur. Pelliceum uero inter duas tunicas habere possunt: quod aliquantulum tunicis breuius sit. Lintheamina non habeant nisi forte priorissa in infirmitorio cum aliqua propter grauem infirmitatem: iudicauerit dispensandum. Pelliceis et coopertoriis siluestribus sorores non utantur. Tunice usque ad talos:

scapularia uero sine quibus non uadant sint tunicis breuiora. Soccus pepla et capitegia et uela habeant ut necesse fuerit et facultas permiserit: cirothecas non habeant.

De communitate rerum: undecimum capitulum

Omnes sorores singulis annis uel pluries si eis dictum fuerit. omnia sibi commissa priorisse sue exponant pariter et exhibeant: eius dispositioni omnia relinquendo. Nulla etiam ciphum uel uas aliquod uel aliquid huiusmodi sibi appropriet. Item nulla habeat archam uel aliquid quod cum clauue firmetur: exceptis illis que propter officium suum necesse habent habere. Item nulla mittat uel recipiat sine licencia litteras uel cedulam scriptam etiam sine sigillo: nec etiam scriptum aliquod in tabulis uel in cera nisi magistro uel priori prouinciali uel uicario. Priorissa cum duabus sororibus quas elegerit. * cum sibi expedire uidebitur sororibus absentibus scrutetur singulos lectos sororum: et si ibi inueniant aliquid quod soror sine licencia priorisse habeat. illud accipiat et eam condigne puniat. Item sine speciali licencia et expressione personarum: quibuscumque hominibus munuscula nec dent. nec ab ipsis recipiant. Quecumque autem contra fecerit furti iudicio condempnetur.

De comunione et lauatura capitem et tonsura: duodecimum capitulum

Communio poterit fieri in anno quindecim uicibus. * in terminis quibus uisum fuerit fratribus curam de sororibus gerentibus: dummodo ad preparandum se possint habere copiam confessorum. In septem autem de illis terminis poterunt lauari capita et tonderi capilli earum. Sit autem tonsura non modica: ut decet religiosas personas.

De silencio: tercium decimum capitulum

Silencium teneant sorores. in oratorio: in claustro. in dormitorio. in refectorio. Alibi uero loqui poterunt de licencia speciali: prout et quantum fuerit eis concessum. Si qua tamen aliquid submisit et breuiter de necessariis protulerit: non teneatur de silentii fraccione.

Omnes sorores ubique in mensa silentium teneant tam priorissa quam alie. * excepta una que maior fuerit inter eas. uel alia cui pro se loqui commiserit: et tunc ipsa taceat. Nulla autem aliarum ibidem loquatur nisi de necessariis mense: et hoc per unicam oracionem uel dictionem breuiter et submisit. Si que uero hoc silentium fregerit ex proposito. uel licenciam loquendi dedit. * in uno prandio aquam tantum bibat et unam disciplinam in capitulo accipiat coram omnibus sine dispensacione: exceptis infirmis decumbentibus. Caueat autem priorissa ne sit facilis ad dandas licencias loquendi sine causa racionabili.

Item quatuor de sororibus magis religiosis et discretis assignentur. * sine quarum una. uel duabus. uel priorissa. uel suppriorissa. nulla licencietur ire ad fenestram locutorii secularium: nec aliquid loquatur ibi soror nisi in auditu socie uel sociarum. Ista autem socia uel socie debent accusare eam cum qua mittuntur: si in uerbo. uel gestu. uel aliter. in aliquo notauerint eam reprehensibilem. Priorissa autem et suppriorissa cum aliquibus in predicto locutorio non loquantur: nisi in presencia alicuius qua tuor predictarum. uel alicuius antiquarum sororum.

Nulli detur licencia loquendi in locutorio secularium cum extraneis aut intrandi locutorium illud. * quamdiu hore uel missa dicuntur. uel quando conuentus dormit uel comedit: nisi ex causa ualde necessaria. Ad fenestras confessionum nulla loquatur de aliis quam de confessione. scienter. et ex proposito. * nisi forte de pertinentibus ad officium ecclesie cum exterioribus: et hoc de licencia. et breuiter. et submisit.

Nulla confiteatur alicui seculari. uel alicui cuicumque alterius religionis. uel etiam fratri. * nisi de licencia magistri uel prioris prouincialis: uel illius cui super hoc secundum certam formam aliquis horum commiserit potestatem. Item ad rotam nulla loquatur nisi illa uel ille. * que propter aliquod officium sunt ipsi rote deputate: et ille non loquantur ibi. nisi de pertinentibus ad officium predictum.

Pro prima fraccione silentii scienter et ex deliberacione commissa extra mensam. dicat soror psalmum miserere. * pro secunda recipiat in capitulo disciplinam coram omnibus: pro tercia sedeat semel in terra. et hoc in prandio. non in cena. Computacio autem ista inter duo capitula fiat. Priorissa tamen dare poterit aliquas licencias generales loquendi. * cellararie. coquinariis. siue aliis officialibus: prout racione officiorum uisum fuerit expedire.

De recipiendis: quartum decimum capitulum

Nulla notabiliter iuuenis recipiatur in sororem. Non recipiatur etiam aliqua. nisi cum diligenti examinacione. * facta seorsum de moribus. et uita. et uiribus corporalibus. et industria animi: et utrum sit coniugata. et non per ecclesiam separata a uiro. Examinetur diligencius utrum sit grauida: et si non possit certitudo haberi. expectandum est donec certitudo habeatur. Item inquiratur utrum sit serua. * uel racioniis obligata. uel alterius professionis. uel occultam habeat infirmitatem: uel alia impedimenta habeat propter que non expediat eam recipi. Hec autem examinacio. * a priorissa et duabus sororibus discretis: de consensu capituli ad hoc electis. fieri debet.

Cum autem recipienda adducta fuerit in capitulum: prosternat se in medio. Interrogata autem ab illa que preest. quid querat: respondeat. misericordiam dei et uestram. Qua ad iussum illius que preest erecta. exponat ei austeritatem ordinis: propositum eius requirens. Que si respondeat se proponere cuncta seruare: dicat post cetera. dominus qui cepit ipse perficiat. Et conuentus respondeat. amen. Tunc depositis secularibus uestibus et religiosis indutis: in societatem sororum in capitulo recipiatur. Uerumptamen antequam stabilitatem et communem vitam promittat. * et obedienciam ac professionem faciat: tempus probacionis assignetur.

Probacionis uero tempus statuimus unius anni. uel eo amplius. * prout illi que preest de prudencium consilio videbitur expedire: ut et ipsa austeritates ordinis. et sorores mores ipsius experiantur. Magister autem ordinis. uel prior prouincialis. pensatis facultatibus domus que pro tempore fuerint. * aliquem certum numerum sororum statuatur. ultra quem non recipiatur aliqua in sororem: nisi talis esset persona que sine graui dampno uel scandalo recusari non posset. Et tunc non nisi de consilio magistri uel prioris prouincialis recipiatur. Nulla eciam fiat promissio de sorore aliqua recipienda: antequam locus uacauerit.

Licebit quoque aliquas recipere intus in sorores conuersas. * ubi hoc expediens uidebitur. in numero moderato: prout earum officii et adiutoriis aliis alie sorores indigebunt. Dicant autem in profestis diebus pro matutinis viginti octo pater noster. * in festis autem nouem leccionum quadraginta. pro uesperis quatuordecim. loco preciosa tria: pro benediccione mense unum. post mensam pro graciis tria. In ieiuniis. et uigiliis. et aliis. * que earum statui competunt: se aliis conformabunt.

De nouiciis et earum instruccione: quintum decimum capitulum

Priorissa nouiciis magistram diligentem in ipsarum instruccione preponat. * que eas de ordine doceat. in ecclesia excitet: et ubicumque negligenter se habuerint. uerbo uel signo quantum poterit studeat emendare. Necessaria prout potest debet eis procurare. * de apertis negligenciis cum ante eam pecierint ueniam penitenciam dare: uel eas in suo capitulo proclamare. Humilitatem cordis et corporis doceat eas habere. * frequenter. pure. et discrete confiteri: sine proprio uiuere. propriam uoluntatem deserere pro uoluntate maiorum. uoluntariam obedienciam in omnibus obseruare. Quomodo ubique et in omnibus se habere ipsas debet instruere: quod locum ubi fuerint posite ubique teneant. qualiter se ad cameras contineant: ut oculos sublimes non habeant. Quomodo uel quid orent. et quam silenter: ut aliis rugitum non faciant. Quomodo in capitulo. uel ubicumque reprehense fuerint ab ea que preest. uenia sit facienda: et quod si que sororem suam aliquo modo scandalizauerit. ad pedes eius prostrata ueniam petat.

Instruende sunt eciam nouicie. ut cum nemine contendere presumant. et quod in omnibus magistre sue obediunt. * in processione sociam sibi collateralem attendant. nec loquantur locis et temporibus interdictis. nec alias sine licencia: et quod neminem penitus iudicent. * sed si qua ab aliqua fieri uiderint. licet mala uideantur. bona suspicentur. uel bona intencione facta; sepe enim humanum fallitur iudicium. Et quod non loquantur de absente nisi que bona sunt: quod disciplinas frequenter suscipiant. * et cum duabus manibus bibant. et sedendo: quod libros. et uestes. et res alias monasterii custodiant diligenter. Et quod si quid petitum fuerit ab una earum que preest. et negauerit. * non petatur ab alia. nisi negacione priore exposita: sed nec si a maiore pecierint. et negauerit. uadat ad minorem.

Item confessiones nouitiarum ante professionem recipiantur: et diligenter de modo confessionis et in aliis instruuntur. Item nouicie ante professionem de debitis sese expendant: et omnia alia ad pedes priorisse ponant. ut se ex toto absoluant. Item nouicie. et alie sorores que apte sunt. in psalmodia et officio diuino studeant diligenter. * preter conuersas. quibus sufficiat ut sciant uel addiscant ea que debent pro horis dicere: omnes uero in aliquo laborerio addiscendo uel exercendo occupentur. Item nouicie non intersint capitulo de culpis. sed in principio se accusent. * uel magistra earum extra capitulum culpas earum audiat: et ipsas quantum poterit diligenter in moribus instruat. et caritatiue corripiat.

De professione: sextum decimum capitulum

Modus faciendi professionem: talis est. Ego N. facio professionem. et promitto obedienciam deo. et beate marie et beato dominico: et tibi N. priorisse. uice N. magistri ordinis fratrum predicatorum. * secundum regulam beati augustini et instituciones sororum. quarum cura predicto ordini est commissa: quod ero obediens tibi. aliisque priorissis meis. usque ad mortem. Nouiciarum autem uestes in earum professione benedicantur a priorissa hoc modo. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Et salutare tuum da nobis. Domine exaudi oracionem meam. et cetera. Oremus. Domine ihesu christe. qui tegimen nostre mortalitatis induere dignatus es: obsecramus immense largitatis tue habundantiam. * ut hoc genus uestimentorum. quod sancti patres ad innocencie et humilitatis indicium ferre sanxerunt. ita benedicere digneris: ut que hoc usa fuerit. te induere mereatur. christum dominum nostrum. Postmodum: aspergantur aqua benedicta. Ad professionem nulla recipiatur infra xiiij annos. Nolumus autem quod alique sorores benedicantur. * cum beatus dominicus hoc ordinasse dicatur. circa illas que fuerunt in suo tempore; et huiusmodi benediccio soleat aliquibus esse occasio ut super alias se extollant.

De leui culpa: septimum decimum capitulum

Leuis culpa si qua mox ut ut signum datum fuerit. * non relictis omnibus. cum matura festinatione: se preparaverit ut ad locum. pro quo fit signum. ueniat tempestiue. Si qua designatum sibi legendi uel cantandi officium. * non attente compleuerit: uel responsorium. uel antiphonam. uel aliud inceptura chorum turbauerit. Si qua male legendo. uel cantando offendens: non statim se coram omnibus humiliauerit. Si liber in quo legendum est in collacione. * uel in capitulo. uel in ecclesia: cuiusquam neglectu defuerit. Similis culpa est. si qua ad mensam. uel collacionem. nel sermonem. uel capitulum. * uel ad horas in ecclesia. uel ad laborerium commune cito non uenerit: uel ad leccionem mense notata. ad benedictionem se tarde obtulerit. Si qua in dormitorio uel alibi in conuentu. * aliquem tumultum fecerit: uel orantes. uel legentes. uel laborantes in aliquo inquietauerit. Si pannus ad inuoluendum calicem uel patenam. * uel corporale. uel stola. uel manipulus. uel similia per negligenciam cuiusquam in terram ceciderit: uel si uestes suas tempore et loco statuto honeste et ordinate aliqua non reposuerit.

Item leuis culpa est si qua cereum uel aliquod utensilium perdiderit uel fregerit: uel aliquod uestimentorum suorum deteriorauerit uel amiserit. Si qua in officio uel sermone uel laborerio dormitauerit: uel oculos uagos habens per claustrum uel domum ad uanitates sepe direxerit. Si qua ociosis uacauerit. * uel dissolute riserit. uel alias ad ridendum concitauerit: uel in aliquo gestu. uel motu. uel statu. uel habitu. uel uerbo reprehensibilis apparuerit. Pro hiis culpis unus psalmus uel plures. * secundum quantitatem excessuum: prout uidebitur tenenti capitulum iniungantur.

De media culpa: octavum decimum capitulum

Media culpa est si qua ad gloria primi psalmi non affuerit et medio chori non satisfecerit. * uel in uigilia annunciacionis uel natiuitatis domini in principio capituli non adfuerit: ut pronunciatu exordiis redemptionis nostre gracias agat corde et corpore redemptori nostro. Similis culpa est si qua in choro non intenta diuino officio: uagis oculis et motu irreligioso leuitatem mentis ostenderit. Si qua leccionem tempore statuto non preuiderit: uel aliud legere. uel cantare presumpserit quam quod ordinatum est. Si qua in choro riserit. * uel alias ridere fecerit: uel in conuentu dissolutionem aliquam fecerit.

Item media culpa est si qua a capitulo. * uel sermone. uel collacione. uel refeccione communi: uel laborerio. uel hora aliqua. ex causa minus rationabili remanserit. Si qua commune mandatum dimiserit. Si quid cibi uel potus absque benedictione aliqua sumpserit. Similis culpa est si qua eam. a qua proclamata est. * eadem die. quasi uindicando se proclamauerit: uel clamans in proclamacione sua iudicium fecerit. Si qua ut in loquendo fieri solet. * cum iuramento aliquid affirmauerit uel negauerit: uel uaniloquium dixerit. Si qua sororem proprio nomine nominare obmisso hoc nomine soror usu habuerit. Pro huiusmodi culpis. * psalmi. discipline. et uenie secundum discrecionem tenentis capitulum: imponantur quantitate culparum pensata.

De graui culpa: nonumdecimum capitulum

Grauis culpa est si qua cum aliqua lites habuerit uel inhoneste contenderit. * uel si qua alii opprobrium dixerit. uel culpam pro qua satisfecit impropauerit: uel si qua in proclamacione iurgium fecerit. * uel in illam a qua proclamata est. uel quamlibet aliam maledicta seu uerba inordinata. uel irreligiosa maliciose inuexerit. Similis culpa est si qua discordiam inter sorores seminauerit: uel detraxerit detratrix seu susurratrix inuenta fuerit. Si qua mala de sororibus uel domo maliciose euomuerit uel culpam suam aut alterius proterue defenderit: Si qua mendacium scienter dixerit. Si qua silentium non tenere in consuetudinem duxerit.

Item grauis culpa est. * si qua carnes absque licencia et necessitate comederit: uel ieiunia statuta fregerit. Si qua in aliquem oculum fixerit: uel turpem sermonem protulerit. Si qua res aliquas alii deputatas quamuis non animo retinendi sine licencia acceperit. * uel a capitulo. uel sermone. uel communi dormicione: sine causa aliqua et licencia remanserit. Pro huiusmodi culpis et similibus iniungantur tres dies in pane et aqua. * et tres discipline coram omnibus recipiende: uel plus. et psalmi. et uenie. prout secundum excessus maiores. uel minores. uidebitur iustum esse.

De grauiori culpa: uigesimum capitulum

Grauior culpa est. * si qua per contumaciam uel manifestam rebellionem maioribus suis inobediens extiterit: uel cum eis proterue contendere ausa fuerit. Si qua aliam maliciose percusserit. Si qua res aliquas alii concessas uel de communi: animo celandi acceperit. uel proprium habuerit. Similis culpa est. * si qua munuscula. uel alias res sine licencia dederit: uel receperit. uel receptas celauerit. Si qua litteras. uel aliqua in scripto aliquo. * sine licencia miserit. uel receperit: uel legerit. uel sibi legi fecerit. Si qua aliquid inhonestum domus. uel sororum. uel secretum aliquod: extraneo cuicumque reuelauerit. uel aliquod quodcumque capitale crimen commiserit.

Pro huiusmodi culpis. que rea fuerit ueniam petens sceleris sui. * immanitatem lamentabiliter proferat. et denudata usque ad cingulum uapulet ad pedes singularum: primo priorisse. deinde utriusque lateris

sedentium. * et sit omnium nouissima in conuentu. In refectorio quoque ad communem mensam non comedat cum aliis. * sed in medio refectorii super nudam terram: et prouideatur ei panis grossior et potus aque. * nisi que preest ei aliquid per misericordiam impendat. nec reliquie prandii sui cum aliis misceantur. Ad canonicas horas et ad gracias post comestionem. * ante hostium ecclesie transeuntibus sororibus prostrata iaceat: dum intrant et exeunt. Nulla uero audeat se coniungere ei: uel aliquid mandare. Talis quamdiu erit in hac penitencia. * non communicet. non ueniat ad osculum pacis: nec notetur ad aliquod officium in ecclesia. nec ulla ei committatur obediencia. Priorissa uero ne in desperationem labi possit. * mittat ad eam. que est in tali culpa. seniores que moneant eam ad penitentiam: prouocent ad pacienciam. foueant per compassionem. * hortentur ad satisfaccionem. adiuuent per suam intercessionem. Quibus et suffragetur totus conuentus. si apparuerit in ea debita humilitas. * nec renuat que preest cum ea facere misericordiam: et si uidetur ei denuo uapulet modo supradicto.

Eodem modo penitere debet. si qua. quod absit. * in peccatum carnis lapsa fuerit: quod grauius ceteris puniri censemus et plusquam omnia alia abhominamur. Poterit autem ei. que talis fuerit * uelum nigrum auferri: quamdiu fuerit in hac penitencia. Si uero huiusmodi peccatum occultum fuerit. * disquisitione secreta: secundum tempus et personam condignam agat penitentiam. Si uero alique per conspiracionem. uel coniuacionem. uel maliciosam concordiam. * aduersus priorissam. uel superiores suos manifeste erexerint se: supradicto modo peniteant. et de cetero in tota uita sua extremum locum sui ordinis teneant. * et uocem in capitulo nisi accusacione sua non habeant. neque eis aliqua obediencia iniungatur. Si qua tamen non maliciose. sed in ueritate aduersus priorissam aliquid habuerit. * quod tolerari non debeat. nec deceat: prius eam inter se cum omni humilitate et caritate de sua correccionem admoneant. Quod si frequenter admonita. * se corrigere neglexerit. aut contempserit: priori prouinciali. uel eius uicario significetur.

De grauissima culpa: uigesimum primum capitulum

Grauissima culpa est incorrigibilitas illius. * que nec culpas timet admittere: et penam recusat ferre. Si qua igitur talis inuenta fuerit. * exuta habitu sororum et earum societate priuata. recludatur in locum sequesterum: et utatur cibus. qui pro grauiori culpa superius sunt expressi. Ad correccionem talium habeantur aliqua loca apta. * in quibus non solum predictae incorrigibiles: sed eciam contagiose. et suspecte probabiliter de nocimento inferendo in personis. uel rebus. uel de fuga. poterunt recludi. Pro culpis uero aliquibus minoribus istis. * poterit interdum iniungi aliquibus. ut in eisdem locis morentur ad tempus sequestrate: secundum quod uidebitur expediens.

De Apostatis: uigesimum secundum capitulum

Si qua in apostasia uel fuga deprehensa fuerit et reducta inuita: penam que supra determinata est de incorrigibili sustineat. Si qua uero fugitiva uoluntarie redierit petens misericordiam. nullatenus recipiatur in perpetuum. * maxime si de lapsu carnis commissio suspecta fuerit: nisi magistro uel priori prouinciali consultis super hoc et expresso casu aliud ex causa iudicetur interdum. Cum autem fuerit recipienda. denudata usque ad cingulum. * cum uirgis in capitulum ueniat. et prostrata ueniam petat: et penis omnibus supradictis de grauiori culpa. uel lapsu carnis. uel conspiratione subiiciatur. Receptura tamen de misericordiis ibi taxatis. * plus uel minus cicius uel tardius: secundum exigenciam excessus precedentis. et signorum penitencie subsequentis.

De eleccione priorisse: uigesimum tertium capitulum

Magister uel prior prouincialis prouideat de priorissa: ubi talis consuetudo fuit usque nunc. Alias uero priorissa a conuentu suo secundum formam canonicam. * uidelicet per scrutinium. uel per compromissionem. uel per communem inspiracionem eligatur: omnibus iuris subtilitatibus uel cauillationibus relegatis. * et a magistro. uel priore prouinciali. uel uicario ad hoc specialiter assignato. si ei uisum fuerit confirmetur. Conuentus autem qui petit electe confirmacionem in priorissam: numerum scribat eligentium et nomina. Si uero infra mensem non elegerint: magister uel prior prouincialis conuentui prouideat de priorissa. Sorores anno post professionem suam. et non ante. * ad eleccionem priorisse admittantur.

De institucione suppriorisse: uigesimum quartum capitulum

Priorissa de consilio discretarum sororum. et prioris prouincialis uel uicarii eius. * instituat suppriorissam: cuius officium erit habere diligenciam et curam circa conuentum et in aliis. * quantum priorissa assignauerit ei. uel permiserit. In cotidianis uero capitulis non proclametur. * nisi aliquando pro aliquo maiori excessu: secundum quod priorisse uisum fuerit. Eadem autem suppriorissa. mortua priorissa uel amota. uices eius plenarie optineat. * quousque priorissa fuerit electa. et confirmata. et in domo presens exstiterit: uel nisi magister. uel prior prouincialis. uel uicarius aliter ordinauerit.

De circatricibus: uigesimum quintum capitulum

Priorissa de consilio assignet duas sorores discretas. et ordinis zelatrices. que sint sollicite et intente circa gestus et facta sororum. * et post completorium. et de die etiam interdum claustrum et officinas circumeant: et si quam in aliquo se habentem minus religiose inuenerint. * debebunt eam in capitulo proclamare. Uisitatorem quoque tempore uisitacionis. * de statu religionis quomodo seruetur. uel non seruetur: plene instruere.

De cellararia: uigesimum sextum capitulum

Cellariam sorores habeant unam de maturioribus et discreccioribus domus. * que per se. et socias sibi assignatas. consilio priorisse et suppriorisse fideliter et deuote bona temporalia procuret: pecuniam. pannos. frumentum. uinum. caseos. uel aliquid huiusmodi sine licencia generali uel speciali dare non presumat. Cellararia coram priorissa et suppriorissa. * et tribus de maturioribus sororibus. ad hoc assignatis: a conuentu computationem faciat quolibet mense receptorum et expensarum. Semel autem in anno. uel amplius. si uisum fuerit. * coram priore prouinciali uel eius uicario: computacio fiat et status domus exponatur. Possessiones sine consensu conuentus alienari uel minui non possunt.

De labore: uigesimum septimum capitulum

Quia ociositas inimica est anime. et mater. et nutrix uiciorum. * nulla sit ociosa. sed diligenter obseruetur. ut exceptis illis horis et temporibus. quibus oracioni uel officio uel alii occupacioni necessarie debent intendere: operibus manuum ad utilitatem communem omnes attente insistant. prout fuerit ordinatum. Cum sororibus autem quamdiu sunt in labore. * priorissa uel suppriorissa: uel aliqua alia. ad hoc a priorissa assignata. sit presens. Laborent autem in silencio. * nulla recedat a communi laborerio sine licencia et necessitate: que autem sic exierit expleta necessitate redeat.

De edificiis: uigesimum octauum capitulum

Edificia sororum sint humilia. * curiositate uel superfluitate non notanda: et apponatur cura diligens. quod ordinentur officine. prout melius fieri poterit pro religione seruanda. Ante omnia detur opera. * quod clausura sit ualde alta et fortis: ita ut egrediendi uel ingrediendi per clausuram opportunitas nulli detur. Non sit autem in clausura sororum. * nisi unum hostium forte et bonum: quod cum duabus clauibus uel pluribus. quantitate et forma differentibus. * claudatur cum una interius. et cum alia exterius. Interior autem custodiatur exterius. uel intus: secundum dispositionem prioris prouincialis. uel uicarii eius: exterior uero intus secundum dispositionem priorisse et conuentus.

Aptetur autem in aliquo loco conuenienti ipsius clausure. in ipso muro inseparabiliter adherens. * ipsi aliquod instrumentum rotundum. quod rotam uocamus: per quod ita possint res necessarie dari. et accipi. quod dantes et accipientes nullatenus possint se uidere. In ipsa uero ecclesia. in aliquo loco intermedio inter sorores et exteriores aptetur aliqua fenestra ferrea competentis magnitudinis. * in qua fiant sermones: et in aliquo loco apto due fenestre paruule ferrate ad confessiones audiendas.

Poterit autem haberi aliquod locutorium ad loquendum cum extraneis in aliquo loco conuenienti. * ubi aptetur fenestra ferrata simili modo sicut dictum est de fenestra maiore in ecclesia: uel in ipsa ecclesia ad fenestram maiorem poterunt fieri locuciones cum extraneis. ubi huiusmodi locutorium non habetur. Porro omnes supradicte fenestre uel fenestrelle ferrate sic disponi debent. * uel per duplicacionem ferrature. uel per acutos clauos: quod inter exteriores et interiores nullus possit interuenire contactus. Item omnes iste fenestre. uel fenestrelle. et etiam rote debent habere hostia lignea bona: cum clauibus diligenter firmanda. Preter supra predictas fenestras nulla alia habeatur. * nisi forte causa loquendi cum familia aliqua similis fenestrelle confessionum in loco competentis: de licencia magistri uel prioris prouincialis concedatur.

De ingressu et egressu domorum: uigesimum nonum capitulum

Circa egressum et ingressum domorum sororum. summam adhibere uolentes cautelam. * interdicimus sub pena anathematis. ne unquam aliqua soror egrediatur clausuram: nisi propter periculum ignis. uel ruine. uel latronum seu malefactorum. aut similium euentuum. qui solent uergere in periculum mortis. * nisi forte de licencia magistri ex causa aliqua transferri contigerit aliquam ad aliam domum faciendam uel factam. Regem. uel reginam. uel metropolitanum. uel dyocesanum. uel legatum. uel cardinalem. uel papam. * uel patronam. uel patronam. si ab inicio fundacionis concessum eis fuerit: licebit ingredi cum societate honesta et moderata. ubi usque modo fuit hic consuetudo. Item magister. uel prior prouincialis. * uel uisitor ad hoc missus. causa uisitacionis: ingredi poterunt cum societate fratrum matura. interdum. sed raro.

Quando uero aliquis predictorum ingredietur. * priorissa cum tribus de antiquioribus eum semper comitetur: alie uero non discurrant. sed sint in capitulo. uel in ecclesia. uel in alio loco honesto. * omnes preter illas que necessario occupantur in aliquibus officiis. donec egressus fuerit extra domum. Nulla

loquatur cum aliquo ingrediencium seorsum ab aliis. * nisi forsan cum aliquo predictorum. qui possunt et debent intrare: et hoc de licencia. * exceptis priorissa et tribus sororibus ad hoc deputatis.

Priorissa et tres alie sorores simul stent. * et simul uadant. bine et bine: nec aliqua earum alicui loquatur aliquid. * non presente et audiente aliqua predictarum. Loquantur autem cum illis. * quos ex aliqua causa contigerit ingredi: de expedientibus breuiter et succincte.

Item si oporteat infra terminos sororum aliqua opera fieri necessaria. * poterunt intrare operarii aliqui. de licencia prioris prouincialis uel uicarii: et tunc priorissa. et suppriorissa. et procuratrix. uel alie tres de antiquis et maturis ad hoc deputate. * operariis loqui poterunt: ita tamen quod una ab aliis duabus audiatur. * alie vero nullo modo loquantur eis. nec eciam ad eos accedant. Item si aliquam ita infirmari contigerit quod ad locum consuetum communioni uenire non possit. * si oporteat eam communicari: sacerdos in superpelliceo. cum stola. corpus christi deferens. * reuerenter precedentibus eum duabus sororibus cum cereis. et una cum aqua benedicta. et alia campanellam deferente: associantibus nihilominus aliquibus de maturioribus sororibus ad infirmariam uadat. * et infirmam communicet. prout in ordinario continetur.

Si autem aliqua soror infirmatur in tantum. quod eam inungi oporteat. * tunc sacerdos indutus ut supra de comunione dictum est. oleum sacre unccionis deferat: et una sorore crucem portante. precedentibus duabus cum cereis. * ad infirmariam uadat. et totus conuentus eum processionaliter antecedit. Intrans autem sacerdos infirmariam dicat pax huic domui. * et cetera fiant sicut notatum est in ordinario: ita tamen quod abstersiones cum stupis fiant uel a priorissa. uel ab aliqua sorore. cui iniunxerit.

Cauendum est autem ne de facili multiplicentur ingressus. * modo causa communionis. modo causa unccionis. sine magna causa. sed simul fiat utrumque. Cum autem simul communicari et inungi aliquam oportuerit. soror aliqua crucem portet. * et frater socius sacram deferat unccionem: et primo fiat communio. deinde inunccio. * et in isto casu semper remaneat conuentus in infirmaria usque ad complectionem officii.

De capitulo: trigesimum capitulum

Finitis matutinis teneatur capitulum uel post primam.

* uel post terciam et missam: si missa post primam dicatur. Aliquando eciam potest intermitteri: si priorissa uideatur. Ingresso conuentu capitulum. lectrix pronunciet lunam et que de calendario pronucianda sunt: et ebdomaria prosequatur preciosa et cetera. Deinde sororibus residentibus. * lectrix pronunciet leccionem de institutionibus. uel de euangelio pro tempore. premissio Iube dopne: et ebdomadaria subiungat benedictionem Regularibus disciplinis. uel Diuinum auxilium. pro tempore. Et facta absolucione pro defunctis. * dicat que tenet capitulum Benedicite: et responso Dominus. * inclinent omnes.

Deinde recitatis beneficiis et recommendatis recommendandis oracionibus. * et dicto a priorissa Retribuere dignare et cetera: dictis autem a conuentu psalmis. Ad te leuauit. De profundis. Kyrie eleison. Pater noster. * subsecutis eciam tribus uersiculis. Oremus pro domino papa. Saluos fac seruos tuos et ancillas tuas. Requiescant in pace. ab ebdomadaria dicendis: cum hiis tribus collectis. Omnipotens sempiternus deus qui facis mirabilia. Pretende. Fidelium deus. * resideant sorores. Tunc que preest poterit dicere breuiter: si quid ad honestatem et correccionem sororum uiderit expedire.

Post hec dicat que preest: Faciant uenias suas que se reas existimant. Continuo que se reas intellexerint: prostrate ueniam petant. Deinde auditis primo nouiciis. si in illo capitulo fuerint audiende. et egressis. * alie surgentes humiliter confiteantur culpas suas: et quarum culpa talis est que digna sit correccione. preparent se ad correccionem. * quam tenens capitulum faciat. uel illa cui ipsa iniunxerit. In capitulo uero sorores nisi duabus de causis non loquantur. * scilicet culpas suas uel aliarum dicendo simpliciter: et prelati suis tantum ad interrogata respondendo. Una eciam stante et loquente: alia non loquatur.

Nulla faciat proclamacionem ex sola suspicione. Item nulla accuset de auditu: nisi personam a qua audierit dicat. Similiter quelibet caueat ne malum quod audierit de alia. * alteri referat: nisi dicat a quo. uel a qua audierit. Auditis culpis. * dicatur psalmus Laudate dominum. cum uersu Ostende nobis domine. et Domine exaudi. et collecta Acciones nostras et cetera: in fine dicat priorissa Adiutorium nostrum in nomine domini et cetera. * et sic soluitur capitulum. Cum non tenetur capitulum de culpis. * pronucianda sunt ea que sunt de calendario: et dicendo Preciosa. siue in choro. siue in capitulo. modo supradicto. * exceptis recitationibus beneficiorum et oracionibus adnexis.

De concessione domorum: trigesimum primum capitulum

Inhibemus sub pena excommunicationis. * ne aliqua det operam directe. uel indirecte. scienter. quod aliqua domus sororum construatur. uel constructa ordini fratrum predicatorum committatur: nisi prius super hoc habeatur consensus capituli generalis. Eadem districtione ordinamus. * ne unquam in aliquo casu domus aliqua recipiatur sub cura ipsius ordinis: nisi cum sufficienti prouisione in bonis temporalibus. pro necessitatibus sororum. Nulli eciam libellus iste tradatur ad transcribendum uel uidendum: sine licencia magistri uel prioris prouincialis.

